

scimus Regiam Majestatem sine Vestrum Dignitatum consilio de rebus ad religionem pertinentibus nihil statuere: ideoque summa cum diligentia rogatas et admonitas uolumus Vestras Dignitates, ut attente et diligenter (nam propter nimiam Sophisticam diligentem lectorem requirit) librum perlegatis, atque Regiae Maiestati omnes libri errores demonstratis, eique 5 auctores sitis, ne monstrosae et impiae doctrinae assentiatur, sed agnitam atque receptam Euangelii ueritatem amare, retinere, conseruare atque defendere pergat, nec non ad Caesaream Maiestatem uel a Vestris dignitatibus, uel ab aliis ad omnes libri errores copiose responderi curet, id quod quoque facturi sumus, ut Caesarea Maiestas intelligat, nos non 10 contumaciter, sed pie, suae Maiestati in hac causa obedientiam negare, quam in aliis omnibus rebus libentissime praestabimus.

Haec ne Vestris Dignitatibus celare possemus coegit commune periculum, quod omnibus nobis, qui Christum amamus et eius gloriam pro nostrae conditionis ratione defendimus, impendet. Nam in eadem nauis omnes 15 sumus.<sup>6</sup> Petimus autem ut Vestrae Dignitates nostrum hoc officium in meliorem [67:] partem accipere uelint, ac, quamprimum commode fieri poterit, suam de hoc toto negotio sententiam atque consilium ad nos perscribere non grauentur.

Quod super est, nos nostramque ecclesiam V. D. precibus et curae 20 commendamus. Nos Vestrae in nostris orationibus sedulo mentionem facimus. Gratia Dei sit uobiscum. Amen. Ex Hamburgo A. 1548. die diuorum Petri et Pauli.

Vest. Dignitatum

obseruantissimi.

Johannes Aepinus, D.

et reliqui Pastores Ecclesiae Hamburgensis

<sup>6</sup> Sprichwörtlich. Vgl. Mieder, Boot.